

**XIII**

AD AMICOS

*Heroico-iambico-Archilochius*

Horrida tempestās caelum contraxit, et imbrēs  
Nivēsque dēdūcunt Iovem ;  
nunc mare, nunc siluae

Thrēiciō Aquilōne sonant : rapiāmus, amīcī,  
Occāsiōnem dē diē ;  
dumque virent genua,

Et decet, obductā solvātur fronte senectūs.  
Tū vīna Torquātō movē  
cōnsule pressa meō.

Cētera mitte loquī : deus haec fortasse benīgnā  
Redūcet in sēdem vice.  
Nunc et Achaemeniō

Perfundī nardō iuvat, et fide Cyllēnēā  
Levāre dīrīs pectora  
sollicitūdīnibus ;

Nōbilis ut grandī cecinit Centaurus alumnō :  
‘Invicte, mortālis, deā  
nāte puer Thetide,

Tē manet Assaracī tellūs, quam frīgida parvī  
Findunt Scamandrī flūmina  
lūbricus et Simoīs,

Vnde tibī reditum certō subtēmine Parcae  
Rūpēre ; nec māter domum  
caerula tē revehet.

Illīc omne malum vīnō cantūque levātō,  
Dēfōrmis aegrimōniae  
dulcibus alloquīs.’